



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque  
Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

Praeludium totius libri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13883**



# DE EFFECTIBVS EXCOMMUNICATIONIS MAIORIS, ET ALIIS EIDEM ANNEXIS.

*Liber Secundus.*

## PRÆLVDIVM.

### SVMMA RIVM.

1. Excommunicationis nomen, quid proprie denotet.
2. Communio triplex inter fideles reperitur, & quanam una quaque sit.
3. Communione huius triplicis quinam auctores meminerint.
4. Excommunicatio maior, qua ratione hominem hac triplici communione priuatur.
5. Excommunicatus, & bonis spiritualibus Ecclesie, & fidelium commercio priuatur.
6. Communione interna fidelium, que in charitate fundatur an excommunicatus particeps esse possit.
7. Excommunicatio maior, qua ratione hominem magis à Deo separet, quam peccatum mortale.
8. Excommunicatus alia ratione priuatur suffragijs Ecclesie, quam existens in peccato mortali.

**C**um varius, ac multiplex sit Excommunicationis maioris effectus, vt ex his quæ in hoc secundo libro latius exponemus, manifestum erit, tanquam fundamentum supponendum est.

1. Excommunicationem, (vt nomen ipsum significat) separationem communionis Christi fidelium denotare.

2. Hac autem communio, quæ inter fideles reperitur, triplex esse potest; Vna omnino interna, quæ fit per charitatem vnientem Christi membra secundum fidem formatam Christo capiti, & reliquis Christi membris similibus. Quia ratione cõio hæc non male definiti seu potius describi potest, affectio animi qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, vt optime tradunt S. Aug. lib. de doctrina Christiana, c. 22. & Magister Sent. 3. d. 27. & DD. & S. Tho. 2. 2. q. 23. & colligitur ex illo 1. Ioan. 4. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligit, & fratrem suum. De qua cõio dicitur in Symbolo Apostolorum; *Credo Sanctam Ecclesiam, Sanctorum communionem.* De qua vnione etiam loquens Paul. Rom. 12. ait, *Multi vnum corpus sumus in Christo,* & similia habent 1. Cor. 12. & Ephesi. 4. & secundum hanc dicit Psalmista; psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Ex hoc. n. quod fideles in charitate sunt, & fideles omnes vni corpus constituunt in Christo, vnusquisque fidelis membrum est corporis Christi mystici; & consequenter vnusquisque fidelis particeps est bonorum omnium, quæ fiunt in Ecclesia, sine aliqua applicatione; sicut in corpore naturali singula membra totius corporis bona participant.

Secunda est exterior, quæ consistit in communione, qua fideles in bonis spiritualibus Ecclesie participant, quæ sunt Sacrificium, Orationes publicæ, Sacramenta, quæ omnia in persona Ecclesie à ministris suis consiciuntur.

Tertia est etiam exterior, quæ consistit in communione qua fideles in actionibus civilibus participant, dum conuersantur simul, loquela, salutatione, cibo, & alijs id genus. Sicut igitur communio hæc triplex est, ita etiam ex-

communicatio, quæ nihil aliud est (vt ratio nominis docet) quàm priuatio communionis seu communicationis, triplex esse potest, hominemque à triplici illa bonorum communicatione separat; taliter enim excommunicatus maiori excommunicatione, & à gratia & charitate Dei, & à communione extrinseca, tam in spiritualibus, quàm in corporalibus & civilibus actionibus separatur, ita scilicet, ne ille excommunicatus cum alijs conueniat ad publicas Orationes, & ad Sacrificia, nec ad Orationes priuatas, quas ipsi fideles inter se instituunt, nec Officium Diuinum cum alijs audire potest, immo & ipsi Ecclesie suffragijs, & Sacrificijs quæ Ecclesia pro fidelibus offert, priuatur, & denique, à Christi fidelibus in corporalibus separatur, ne scilicet cum alijs hominibus in colloquio, conuiuio, & mensa communicet, nec ab alijs salutetur.

Huius triplicis communionis meminerunt S. Thom. in addit. 3. part. q. 21. art. 1. & q. 26. art. 1. & Opusc. 6. in expositione illius Symboli. *Sanctorum communionem.* & Catechismus Romanus ibidem. Alexander de Ales. in 4. part. Summæ, quæst. 22. memb. 1. artic. 2. Bonauent. 4. dist. 18. in vlt. parte distinct. q. 1. Palud. 4. d. 18. q. 1. artic. 1. Thom. de Argentina, 4. dist. 19. artic. 4. ad 4. Gabr. 4. distinct. 18. q. 2. artic. 1. Martin. Ledesm. 2. 4. q. 23. artic. 1. Caietan. tom. 1. Opusc. tract. 19. Sotus. 4. distinct. 22. q. 1. art. 1. Henriquez lib. 13. de excom. cap. 4. §. 1. Et Canonista in Rubr. de sentent. excommu. Hostiensis & alij. Summa Astensis, 2. part. lib. 7. tit. 1. artic. 1. S. Anton. 3. part. tit. 24. in principio. Turrecrem. in cap. si inimicus, 11. quæstio. 3. artic. 1. Syluest. verb. excommunicatio, 1. Tabiena, verbo, excommunicatio, 1. §. primo. Nauar. in Manuali, cap. 27. num. 17. de Oratione & Horis Canonicis, c. 20. num. 53, 54. & 55. & Miscellan. 26. Couar. in cap. alma mater, 1. part. in p. principio, num. 2. de sentent. excommu. lib. 6. Vgol. de cens. Eccles. Tab. 2. cap. 6. num. 3. & 4. & alij.

Ceterum, cum præfati DD. doceant excommunicationem maiorem priuare hominem prædicta triplici cõio bonorum, non ita proprie, & in rigore loquuntur de excommunicatione, quæ censura Ecclesiastica est. Etenim, cum excommunicatio spiritualis Ecclesie gladius sit, proprie secunda, & tertia communione priuatur, quæ in spiritualium, ac corporalium actionum vtu externo consistit. Sicut enim qui per baptismum in Ecclesia ponitur, ad diuina ascribitur, scilicet ad cætum fidelium, & ad participationem Sacramentorum, ita per excommunicationem, qua eicitur extra Ecclesiam, hæc duplici communione exteriori priuatur, ne scilicet in actibus spiritualibus, & corporalibus legitimis, cum reliquis fidelibus communicet, qui his verbis continentur.

*Si pro delictis anathema quis efficiatur.*

*Or. orare, vale, communitio mensa negatur.*

Immo verò ita per excommunicationem maiorem à Christi corpore, & Ecclesia separatur, cap. Qui merito, & c. omnis Christianus, & c. Nihil, 11. q. 3. vt nullo modo aut in spiritualibus Ecclesie bonis, aut fidelium commercio, cum reliquis Christianis participare valeat. c. Engeltrudam, 3. q. 4. & c. penult. de sent. excom.

H 2 5 Id



*Id quod verum est, Primo*, etiamsi excommunicatum contumaciae poenituerit: Quamuis enim poenitentia contumaciae culpam deleuerit, excommunicationis tamen vinculum ab Ecclesia iniectum non tollit, arg. c. cum desideres, & c. A nobis, 2. & c. Sacris, de sent. excom.

*Secundo*, etiamsi excommunicatus Ecclesiae se obtemperaturum iurciurando affirmauerit, vt habetur capitul. cum desideres, & capit. A nobis, 2. & capitul. Quod in dubijs, de sentent. excom. & ibi Panormit. Felin. & Marian. Socin. & alij.

*Tertio*, etiamsi excommunicatus satisfecerit laeso; quod procedit, etiamsi fuisset excommunicatus, donec satis fecerit, vt notat Marian. Socin. in d. c. cum desideres, num. 7. Quantumcunque igitur quis contritus sit, & paratus satisfacere, aut etiam de facto satisfecerit, & inrauerit parere mandatis Ecclesiae, donec absolutus fuerit, communionis exterioris bonorum Ecclesiae participes esse non poterit, vt latius tradunt glos. in Clem. 1. in verbo, donec, de decim. Panorm. in cap. Quod in dubijs, num. 2. Marian. Socin. in d. c. cum desideres, nu. 7. & Bartholom. Vgol. de censur. Eccles. Tab. 2. c. 6. nu. 5.

*Quoad illam vero communionem primi generis, scilicet illam internam, quae in charitate fundatur, sicut quis eam habere poterit ante qua in Ecclesiam per baptismum recipiatur* ita etiam extra Ecclesiam per excommunicationem maiorem eiectus, si contritus sit, etiamsi ab excommunicatione non absoluitur, communionem hac non priuatur: Cuius ea est ratio: quia antequam quis excommunicetur, si peccet mortaliter, charitate priuatur, & proinde excommunicatio charitatem non tollit, sed iam per peccatum mortale sublatam praesupponit. Quamuis aliquando contingere possit, vt etiam cum quis excommunicatur, in gratia & charitate sit, vt si quis post commissum peccatum, antequam excommunicetur, de peccato conteratur & gratiam accipiat, tunc enim excommunicatio postea adueniens illum a gratia non separat. Excommunicatio igitur maior communionem illam internam, quae in charitate fundatur, non priuatur, vt colligitur ex S. Tho. in addit. 3. part. art. 1. ad 2. Alex. de Ales. in 4. part. Sum. q. 22. membr. 1. artic. 2. in responsione. Angelica. verbo, excom. 1. n. 18. Tabiena, verbo, excom. 1. §. Tertio, Mart. Ledefin. 2. q. 23. art. 1. Nauar. in Manual. cap. 27. nu. 17. Couar. in c. alma mater, 1. parte, in princ. nu. 5. de sent. excom. Henriquez l. 13. c. 4. §. 1. Vgol. de cens. Eccl. Tab. 2. c. 9. §. 7. nu. 3. Ratio est: quia quamdiu in homine manet ratio, & fundamentum illius communionis, tamdiu habet homo ius ad illam; Cum ergo communicatio hac in charitate fundata sit, manente charitate, etiam communicatio illa remanebit: Sicut quia consecratio fundatur in charactere sacerdotali, quamdiu quis illum habuerit, & quicumque illum habuerit, consecrare potest.

*Ex quibus omnibus constat, quod licet quis a Deo per peccatum mortale separetur, multo tamen magis per excommunicationem ab vnione cum Deo, quae fit per charitatem seiuinctus est. Qui enim in peccato mortali est, adhuc per fidem informem membrum ecclesiae dicitur, & ita tutior adhuc est a Sathanae tentationibus & tormentis, quam esset, si extra ecclesiam esset sicut excommunicatus. Nam in peccato mortali existens quia vnitur Christo per fidem quamdiu in Ecclesia est, orationum Ecclesiae particeps est, ad huc sane effectum, vt a vitijs Ecclesiae membris adiuuetur, vt eidem spiritus poenitentiae a Deo concedatur, & gratiam recuperet, & facilius daemones insidij & tentationibus resistat, & a malis temporalibus defendatur: At vero postquam quis extra Ecclesiam per excommunicationem eiectus est, his omnibus auxilijs destituitur. Quamuis, n. adhuc fidem retinet, quia tamen a Christi corpore, quod est Ecclesia, separatur, libentius, faciliusq; daemon in eum seuire potest quam prius, cum Ecclesiae suffragijs priuatus sit; vt n. membrum aridum vita caret, quia tamen corpori per nervos & pellem coniungitur, nonnullo calore corporis fouetur quo membrum penitus abscissum caret; ita peccator a missa charitate & gratia, licet membrum aridum sit, & vitae exspes, fouetur tamen aliquo calore Christi id est, Ecclesiae calore, propter illam coniunctionem qua corpori,*

id est, Ecclesiae, per fidem informem, & spe adheret, vt colligitur ex Conc. Trid. Sess. 6. can. 28. Catechismo Romano in exposit. illius partis symboli, *Credo Sanctorum communionem*. S. Thom. 3. part. q. 8. art. 3. Alphonsio a Castro, in verbo, Ecclesia, Ioan. Driedone, lib. 4. de Eccles. dogmat. part. 2. c. 2. Turretrem. lib. 1. Sum. Eccles. c. 3. & 4. Andrea de Vega, lib. 7. in Trid. c. 28. Couar. in c. alma mater, 1. par. in princ. num. 6. de sent. excom. lib. 6. Sorò lib. 2. de natura & gratia, c. 7. & 8. Henriquez, lib. 13. de Excom. cap. 4. §. 1. Vgol. de cens. Eccles. Tab. 1. c. 9. §. 9.

*Excommunicatus vero non solum priuatur suffragijs Ecclesiae, ad eum modum quo priuatur existens in mortali, ita scilicet, vt aliorum suffragia non profint illi, neque ad satisfactionem, neque ad meritum, neque ad gloriam; sed etiam (quod excommunicationis maioris proprium est) vt aliorum suffragia nullo modo ei profint, scilicet, nec ad resistendum tentationibus, nec ad euadendum illusiones daemones, aut ad eius potestatem euadendam, nec ad impetrandum donum poenitentiae, & alia multa, ad quae eadem suffragia profunt peccatoribus, vt proinde quantum est ex parte Ecclesiae, excommunicatus omnino potestati daemones tradatur, vt patet ex illo Corinthio, quem Apostolus excommunicauit, 1. Corin. 5. & 1. Tim. 1. vbi ait se *Hymenaeum & Alexandrum Sathanae tradidisse*. & pluribus tradunt Origenes Homil. 2. ad cap. 2. Iudic. & habetur c. Audi, 1. q. 3. & Anathemas Papa, vt habetur in c. Absit, 1. q. 3. & S. Augustinus in serm. de verb. Apostoli, serm. 68. vt habetur in c. Omnis Christianus, & tract. 27. ad c. 6. Ioannis, vt habetur in c. Nihil, 1. q. 3. & Epist. 50. ad Bonifacium vt habetur in c. Quemadmodum, 2. q. 1. art. 7. S. Thom. in addit. 3. part. q. 2. art. 2. ad 3. Alex. de Ales. in 4. part. Sum. q. 22. memb. 1. art. 2. in respons. ad 3. Bonavent. 4. dist. 18. in vlt. par. dist. q. in fine. num. 57. Gabr. 4. d. 18. q. 2. art. 1. Coroll. 3. in fine. Summa Astensis, 2. par. lib. 7. ut l. artic. 2. Sotus. 4. d. 22. q. 1. art. 1. l. c. offensis art. 23. contra Lutherum, Ecchius in Euchirid. art. 21. Alphons. Castro, contra haereses, in verbo, excommunicatio. Couar. in c. alma mater, 1. p. in principio, nu. 6. de sent. excom. lib. 6. Henriquez, l. 13. cap. 2. §. 3. Vgol. de censur. Eccles. Tabul. 2. c. 9. §. 8. & alij. vnde gl. in cap. audi, in verbo, Sathanae, 1. q. 3. & facit c. Miramur. §. His auctoritatibus in fine, 4. q. 1. & Hostiensis, Ioan. Andr. & Panorm. in c. ita quorundam, nu. 3. de Iudic. & idem Panorm. in Rubr. de sent. excom. nu. 4. docent, quod sicut rusticus vitum asinum, vel iumento; ita diabolus excommunicatio, in quo, tanquam in pecore suo maiore potestatem, quam in alio peccatore habet, vt propterea te iste Augustino tract. 27. in Ioan. *Nihil sic debeat formidare Christianus, quam separari a corpore Christi*, id quod ex his quae in sequentibus dicemus, vnicuique compertum esse poterit.*

#### ADDITIO.

Adde. Et breuiter, vt annotat nuperrime quidam ex recentioribus, Excommunicatus non gaudet communionem suffragiorum generalium Ecclesiae, quae rationem intentionis eiusdem Ecclesiae, quae est non applicare huiusmodi membris abscissis a se merita suorum membrorum sibi vnitorum, nam quoad communionem ratione charitatis iam priuatus erat ipse excommunicatus pro peccatum mortale.

### De participatione Sacramentorum aliorum a Poenitentia, quibus excommunicatus priuatur. Cap. I

#### S Y M M A R I V M.

- 1 Effectus excommunicationis maioris ad tria genera actuum reducuntur, & quanam sint.
- 2 Excommunicatus maiori excommunicatione, ab